

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

CLI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

voluerim. Etenim apud nos hic sparsus est rumor, in Conventu vestro Ecclesiastico certamen & dissidium aliquod exortum esse propter Pappum. Quem D. D. Jacobus Herbrandus Decanum agens, in collegio nostro proposuit. Cum igitur eodem die tuas literas accepissem, quæ nos magna sollicitudine liberare poterant, eadem pro voto meo in consessu nostro legi. Et si verò meis Collegis & mihi gratissimæ fuerunt, & literas vestras expectare potuissemus, tamen ut intelligeretis, quam sumus pacis studiosi & omnes offensiones pro virili nostro cavere cupiamus, nulla literarum tuarum mentione facta, sed rumore in urbe nostra sparsio permoti ad conventum vestrum scripsimus, certoque tibi persuadeas, nos nulli, quantumvis docto & pio, testimonium perhibuituros unquam, quod vel Ecclesiæ vel Scholæ vestræ nocere queat. Ut igitur candidè nobis respondeatis, orat Collegium nostrum. Sin verò priores actiones rescindere non vultis, quod ex re Ecclesiæ & Scholæ vestræ intelligitis, postquam jam à nobis adornatas literas legerimus, dabimus operam, ut intelligatis, nobis hoc maximè curæ esse, ut quæ Ecclesiæ salutaria, & tibi grata sunt, faciamus. Et spero, nunc minus difficultatis habiturum, cum ex tuis literis intellexerim, omnia jam cum illo esse & acta & transacta, cui dies Disputationis publicæ VI. Novembris dictus est. Benè & feliciter vale. Resalutant te reverenter omnes mei Collegæ, tu meo nomine tuos omnes salutabis amanter. 20. Octobris, 1573.

T.

Jacobus Andræ.

## CLI.

Singulis ferè mensibus, Spiram euntes tabellarios habemus. Itaque, si frequentius, brevi hoc temporis spacio, quod ad metam vitæ meæ superest, colloqui per literas volumus, vel Spiram, ad Ghilianum Passlaverum, concionatorem Evangelicum, vel Lipsiam, ad Henningum Gross, bibliopolam, curare mihi inscriptas poteris.

Orationes de Tribus Cæsaribus nostræ ætatis meas, excudit isthic, ante aliquot annos, Carolus Kiefer, a quo exemplaria pro incluso Rhenensi emes, & vel Lipsiam ad Calend. Jan. nondinas, vel Francofurdiam ad Conradum Lauterbachium, mittes.

Apud Bernardi Jobini hæredes intelligo, Effigies aliquor doctorum nostræ ætatis virorum, à Nicolao Reufnero Elogiis illustratas, detineri. Has quæso vel inspicias & pro Disticho, quod meo Nomini addidit, nimis arroganti, substituas:

*Cum Davide DEUM celebrem : teneraque Juventa  
Doctrinâ possim : carus & ipse DEO.*

Ooo 2

Opta

Oportim etiam, si absque molestia tua fieri poterit, omnia, quæ ad me pertinent, Nomini meo addita, describi à ministro tuo, & ad me prima occasione perferri. Prius verò distichon, vel protus tolli, altero substituto : vel, non in prima, sed tertia persona, efferri velim;

*Tot meritis clarus, sanctiusq; laboribus ; an non  
Charus sit populis, charus & ipse DEO.*

## CLII.

*S. in Christo. Reverende & clarissime vir,  
amice charissime.*

**N**obilis & generosus Dominus, Johannes Ungnad, Baro in Sonneck, &c. felicis memoria, sæpè apud nostros tui mentionem fecit, & pietatem ac zelum tuum prædicavit. Id nobis indicio fuit, te optimo illi Heroi non ignotum, sed quæ fuit illius humilitas & in nostrum ordinem benevolentia, familiaritatem aliquant cum ipso tibi intercessisse.

Ejus filius natus minimus ad vos mittitur, ut non solum ingenium in vestra celeberrima schola literis excolat, sed imprimis pietatem & veram religionem, quam cum lacte quasi imbibit, apud vos alat & confirmet. Quamvis igitur non dubitem, te pro tua humanitate, illum propter egregiam indolem, cognatorum honestum institutum, & parentis memoriam, habiturum tibi quàm commendatissimum, & nihil non in illius gratiam & commodum facturum : tamen cum hac iter faceret Junior Baro, & parentem imitatus me salutaret, & peteret, ut aliquid literarum ad te darem, atque ipsum tibi commendarem, non possum hoc prætermittere. Nam senior Ungnadius non solum singulari gratia me prosecutus, sed & amore complexus est ; & filii indoles, quantum de hac ætate judicari potest, parentis mores & pietatem sapere, & his aliquando, per DEI gratiam, respondere posse videtur. Quod si in talem virum evaserit, Australium regionum ecclesiis plurimum proderit, idq; vestræ ecclesiæ & academiæ laudi & honori erit. Cum igitur secum adducat homines honestos quidem & pios, sed quibus rationes vestræ civitatis & scholæ prorsus incognitæ sunt, majorem in modum te rogo, ut ipsos consilio & ope juves, ut & commoda habitatione frui, victus rationem rectè instituere, & idoneis famulis uti possint. Id tibi non erit difficile, qui aliis quoq; Comitibus & Baronibus similia in casu bene consulisti, Baroni vero omnino necessarium, & mihi longe gratissimum. Quis status sit nostrarum ecclesiarum & scholarum, ex Dn. Pappo, quem Tubingæ esse audio, ubi ad vos redierit, cognosces. Omnia apud nos Dei beneficio sunt tranquilla, & optamus etiam alios hac quiete frui posse. Senatus Ratisbonensis ad Illustrissimum nostrum Principem scripsit, & quæ sit nostrarum ecclesiarum de peccato

origi-